



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

Sectio Tertia. Secundum argumentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

pabili. Ut enim qui dubitat, an tale objectum sit licitum, & sine prævio sufficienti examine de licentiâ, licitum iudicat, peccat sequendo illud, quia iudicium illud est error culpabilis: ita a pari si sine prævio examine probabilitatis iudicavero hanc opinionem esse probabiliorem, peccabo: ergo teneor semper ad prævium examen, vel utriusque autoritatis oppositæ, si sequor opinionem probabiliorem ob autoritatem, vel utriusque rationis oppositæ, si sequor probabiliorem ob rationem: sed tale examen necessarium prærequiritur ante electionem probabilioris est onus impracticabile; nam appello ad P. Thyrsium, an dum singulari doctrinæ, & charitatis Apostolicæ conjugio, pulpita Cathedris conjunxit, Hispaniam salutaribus missionibus illustrando, in quibus quidquid ardui, vel ex Matrimonij impedimentis, vel ex contractuum, usurarum, cambiorum materiâ, vel ex dispensationibus, excommunicationibus, & juris naturalis, & positivi, sive Divini, sive humani cruciat irrequietæ Theologorum ingenia, plerumque occurrit; peto, inquam, an ante omnem casum resolutione, vel ante omne consilium, sive intra, sive extra Pœnitentiæ Sacramentum, formaverit semper, præmissis sufficienti examine, & in omni materiâ, quæ tunc occurrere potuit, iudicium evidens probabilitatis de opinione, quam secutus est: immo an ante omne tale iudicium, vel tunc, vel antea præmiserit examen ferium, & comparativum tum Authorum cum oppositis Authoribus, tum rationum cum oppositis rationibus, decidendo quis, cui, quæ, quibus ex Authoribus, & rationibus præferendum sit? Si affirmat, rem prorsus incredibilem mihi dicet. Si neget, ergo vel pluries ex culpabili errore operatus est, immaturè ferendo iudicium de probabilitate hujus supra illam opinionem, sine prævio, & comparativo tum Authorum hinc inde pugnantium, tum rationum inter se contrariorum examine; fingendo sibi tamquam probabiliorem opinionem aliquam non præmissis eo examine, quo præmissis vidisset fortè minus probabilem: quod nefas est dicere de viro doctrinâ, virtutibus, & regimine claro. Vel si non est operatus ex errore culpabili, sæpe secutus est opinionem, quæ sibi tunc tamquam probabilis, sive ob autoritatem, sive ob rationem occurrit, non comparando illam cum oppositâ: ergo vel licitum est sequi probabilem, vel si non licet, necessarium semper erit iudicium evidens probabilitatis. Quare dum P. Thyrsus, Palanco, & P. Muncia dicunt, necesse non esse inquirere, quæ opinio sit in se probabi-

N.  
88.  
P. Thyrs.

N.  
89.  
P. Thyrs.  
Palanco  
P. Muncia

lior, sed satis esse eligere, quæ post sufficientis diligentiam usum menti occurrit, non dicunt, nisi quod nos; immo minus quam nos, etsi dicant alijs verbis, vocando probabiliorem, quæ est probabilis; nam dicunt satis esse eligere quæ tunc occurrit; sed dum una tantum occurrit, non occurrit probabilior, sed purè probabilis; ergo tunc satis est eligere probabilem menti occurrentem. Minus dicunt quam nos, quia nos dicimus eligi tunc non posse menti occurrentem, nisi formetur iudicium de certâ probabilitate illius. Quomodo igitur Probabilioritæ obligant nos, ne sequamur minus tutam, nisi sit evidenter probabilior; & tamen contenti plerumque sunt, ut sequamur opinionem, quæ tunc menti occurrit, suppositâ sufficienti diligentia? Dixi plerumque, nam adeo frequens est casus, quàm frequens est audire confessiones, responderè dubijs conscientia; sæpe enim dum confessiones excipimus, occurrant casus, in quibus nobis non nisi una opinio probabilis, non autem opposita, quæ, aut magis probabilis menti occurrit.

### SECTIO III.

Secundum argumentum.

#### §. I.

*Ex eo, quod omnia erunt confusione plena, & ex morali Probabilitatis impossibilitate.*

### SUMMARIUM.

*Si tenemur ad tutius probabilius, omnia erunt confusione plena, nisi quis cæco impetu fingat sibi probabilitatem, n. 90. ad 93.*

*Cur adeo difficile scire, quæ sit probabilior? ib. Ravissima est evidentia, & certitudo probabilitatis, ib.*

*DD. tuentes, & negantes, circumstantias aggravantes esse necessario consentiendas, n. 94.*

*In magnas angustias conscientiarum homines ex lege obligante ad probabilius, ib.*

*Vix aliquando licebit operari, & opinari, n. 95. Egregium dictum Caram, de impossibilitate probabilitatis, ib.*

*Quia Probabilioritæ nesciunt ad quid obligent, fuscè n. 96.*

*Plerique incapaces sunt decidere, quæ ratio, & qui Doctor sit validior, & maior, ib.*

*Obligare, ut quis sequatur sibi probabiliorem, est obligare, ut quis sequatur id, quod fere omnes judicant certo falsum, & ut quis sit sui iudex, & regula, & savori pertinacibus, ib.*

*Peccata spiritualia difficilius curationis, ib.*

**S**ecundum argumentum, & quidem plausibile, immo, ni fallor, moraliter saltem evidens

evidens est, quia si semper tenemur ad probabilius tutius, omisso minus probabili minus tuto, omnia implentur confusione; hoc dici non potest; quis enim de Dei providentia homines ad salutem dirigente hoc suspicetur? Ergo non datur obligatio sequendi semper probabiliorem tutiorem, & omittendi minus tutam minus probabilem. Sequela probatur 1. quia quilibet nisi cæco impetu fingat probabilitatem, obligabitur ferre, quatenam ex duplici opinione hinc inde classificata sit intrinsecè, & extrinsecè probabilior. Hoc autem præterquamquod excedit modum operandi humanam communem doctis, & indoctis, velle in nobis maiorem licitæ, & illicitæ notitiam, quam probabilem, seu verosimilem, ut ex Arist. docuit S. Thom. citatus supra n. 29. & velle ut omnes moraliter operantes iudicium ferant de opinionum oppositarum probabilitate, adhuc præter hanc, & quidem arduam, quæ ex hominum captu procedit, difficultatem aliam habet, quæ ex objectis ipsis, seu materijs moralibus adeo inter se varijs, & implicatis oritur, ut innuit S. Thom. meo n. 29. Difficillimum namque, immò plerumque impossibile est determinare, quæ opinio sit probabilior, cum eadem, quæ ab aliquibus probabilior censetur, eadem ab alijs minus probabilis censetur; & e contra. Immo, quod caput est, eadem opinio, quæ Divo Th. prioribus annis visa fuit probabilior, eadem eidem S. D. subsequenter annis visa fuerit minus probabilis, nam eam retractavit; quod ipsum frequens est primæ notæ Doctoribus: ergo cum plerumque impossibile sit decidere, quatenam tanquam probabilior præferenda sit; si ad licitè operandum non satis est iudicium directum probabile de licentiâ actionis, & objecti, omnia non tantum erunt summâ confusione, sed æquali difficultate plena. Secundo, quia asserens opinionem A esse sibi probabiliorem, vel ejus probabilitatem deducit ex maiori numero Doctorum; & hoc non, quia sæpe unus Doctor prævalet centum sibi oppositis; vel ex maiori præstantia Doctorum? At quis, nisi eminentissimus sit, inter eos dijudicet? sæpe enim unus Doctor non primæ notæ, qui rem ex professo discutit, prævalet primæ notæ T. P. qui rem non adeo exactè tractarunt. Vel inter probabilitatem ex pondere rationum; at eadem ratio, quam unus graviolem vocat, alius ut leviolem expungit, & e contra: immò idem Doctor hodie graviolem putat eam rationem, quam cras ut minus gravem rejicit, & e contra: ergo cum ex duplici classificata contradictoriâ opinione vix

Tom. II.

definibile sit, quæ sit probabilior, consequenter si ad licitè operandum necessarium est iudicium de opinionis probabilitate, hoc autem plerumque impossibile sit, erit plerumque impossibile operari. Tertio, quia vel N. ad operandum necessaria est evidentia probabilitatis de opinione A, vel satis est iudicium probabile de probabilitate opinionis A? Si satis est iudicium probabile reflexum de probabilitate, cur non satis erit iudicium probabile directum de veritate? præterquamquod tota probabilitas refunditur tunc in iudicium probabile reflexum, & sic nihil dicitur. Si primum, contra est: tum quia probabilitas vix potest sæpe constare probabiliter, ergo multo minus evidenter, tum quia evidentia probabilitatis inter opiniones hinc inde acriter controversas quasi semper est impossibilis, & plerumque contingit ut post librata utriusque opinionis fundamenta in bivio hæreamus, nescientes, quæ sit probabilior.

Confirmo 1. quia examen de maiori gravitate Doctorum, & maiori nervo rationum, nullus Theologus, ne quidem difficili labore evidenter comparare potest: ergo multo minus alijs: ergo cum vix umquam evidenter constet, quæ ratio, & opinio sit probabilior, & ideo sæpe formidamus, an erremus in iudicio probabilitatis, & sæpe ratio, quæ ab unis, imò ab uno, uno tempore creditur probabilior, putatur à Contrarijs, imò ab eodem, diverso tempore, minus probabilis, & e contra; quod est iudicium maximum, vix aliquando adesse iudicium evidens probabilitatis, quoties utraque opinio est probabilis; si enim adesse evidentia probabilitatis de opinione A, numquam aliquis eam opinionem mutare posset; quod si mutat, eo ipso ea evidentia non nisi fictitia fuit, immò si evidentia probabilitatis opinionis A adesset, facile æquè ingratissimi, & studiosi, & ejusdem notæ Doctores eam opinionem amplecterentur, eamque evidentiam viderent, cum tamen plerumque oppositum accidat: cum ergo vix aliquando constet quæ ratio, & opinio sit evidenter probabilior, (nisi ei, cui omnis phantasia est lux, & evidentia) si non est licitum sequi opinionem minus tutam minus probabilem, sed necessario tenemur sequi probabiliorem, vix umquam licebit operari, & tota res erit scrupulis, terroribus, & angustijs plena, ni dixerim, phantasticis evidentijs. Quæro enim à Probabilioristis obligantibus ad probabiliorem tutiorem, quid venit per probabiliorem? Esto enim evidens sit in genere, quid sit opinio intrinsecè, & extrinsecè probabilior.

I

lior,

lior, & quid intrinsecè, & extrinsecè minùs probabilis, quæ tamen ex duplici oppositâ opinione, descendendo ad opiniones particulares, (actus enim humani circa singularia versantur) sit evidenter probabilior, res est plerumque indecisa; nam probabilitas probabilioritatis inutilis est, ut dixi; certitudo autem probabilioritatis, immò probabilitas probabilioritatis oppositum probat, ut ibidem dixi; evidentia autem probabilioritatis, quoties utraque est probabilis, rarissima est, ut constat ex n. 92. Si ergo tam rara est evidentia probabilioritatis, & probabilioritas duarum opinionum oppositarum, si ad operandum prærequiritur notoria, clara, & evidens probabilioritas, seu evidens probabilioritatis iudicium, nam probabile probat oppositum, vix umquam licitum erit operari.

N. 94. Hoc ut pateat sumo duplicem opinionem, unam affirmantem, aliam negantem circumstantias intra eandem speciem aggravantes, esse necessariò confitendas. Patrocinantur autem utrique opinioni DD. numero, & autoritate conspicui, ut videre est apud P. Moy. tom. 1.

P. Moy. tr. 3. d. 3. q. 1. n. 3. & alios passim. Quæro, quænam sit probabilior? an negas? hoc autem P. Suar. P. Sanch. M. Joan. à S. Th. M. Arauxo, & alij affirmantes obligationem eas confitendi negabunt. An affirmans? hoc autem S. Th. Scotus, C. de Lugo, P. Valen. & alij negantes obligationem eas confitendi negabunt. Quid igitur remedij misero penitenti inter probabilioritatis tenebras constituto capiendum erit? Si dixeris, in tali casu standum pro tutiori, seu pro sententiâ affirmante obligationem confitendi: Contra 1. est, quia Adversarius transit à castris Probabilioristarum, ad castra Tutioristarum. Contra 2. quia si fortè non datur præceptum obligans eas confiteri, penitens eas confitendo peccabit contra præceptum naturale non infamandi se; nemo enim potest se ipsum sine gravissimâ cautâ infamare: sed sublato præcepto obligante ad confitendum eas circumstantias, nulla tunc datur causa licitans ipsam sui ipsius infamationem: ergo &c. Contra 3. quia sententia negans obligationem sequendi tutius est longè probabilior sententiâ affirmantem eam obligationem, ut Probabilioristæ contra Tutioristas docent, volentes licitum esse sequi minùs tutam notoriè probabiliorum tutiori minùs probabili: ergo cum licitum sit sequi sententiam probabiliorum, penitens non tenebitur eas confiteri. Contra 4. quia recurrunt argumenta toties inculcata, quòd numquam licitum erit aliquam D. Thomæ opinionem libertati faventem opinari, & exequi, quoties ejus proba-

bilioritas non sit evidens: sed nulli Scotistæ eam probabilioritatem neganti ea est evidens, immò sæpe ipsi Thomistæ discordes inter se carent eâ probabilioritatis evidentia: ergo nulli Scotistæ licebit opinari, & exequi ullam D. Thomæ opinionem faventem libertati. Ecce quos, & quales in laqueos conjicitur genus humanum, si ut licitè operetur, opinari, & sequi tenetur probabilibus, & non satis sit certo probabile, five magis, five minùs. Nullus enim licitè cum incertitudine probabilioritatis operari potest: sed plerumque in casibus particularibus, quoties utraque contradictoria est classica, & probabilis, adest ea probabilioritatis incertitudo circa alterutram opinionem: ergo si datur obligatio sequendi probabiliorum, non licebit plerumque operari.

Addo: Cum paucissimi sint actus humani metaphysicè, physicè, aut moraliter evidentes, & plerique probabiles tantum sint, si opinio probabilis non est satis ad operandum, vix aliquando operari poterimus, cum evidentia rarissima sint. Quare Caram in Apolog. Ep. 2. n. 83. pag. mihi 36. rectè dixit, Denominatio probabilioris, aut minùs probabilis pendet maxima ex parte ex affectu; semper enim Dominicanus opinabitur Thomisticas conclusiones Scotisticis probabiliores; & contra Franciscanus. Ubi sunt omnia bona, non semper meliora cognoscimus, & ubi omnia sunt probabilia, non semper probabiliora discernimus. Omnia Æneidos Virgilianæ carmina sunt bona; cito aliqua alijs meliora: audebisne tum omnia quæ bona ad unam classem redigere, & ad aliam omnia meliora? Ego non audeam hanc Spartam inire; & ut video, facilis est ad classes carmina, quàm probabiles assertiones reducere. Plus inter se differunt monetae aureæ, quæ uno grano præponderant, quàm opiniones plus, & minus probabiles: at illas nemo nudis oculis uno monte distinguit, ergo nec has. Libellâ earum differentiam percipimus, at mens humana ut probabilitates examinaret, nisi cælitus adjuvetur, libellâ caret. Hinc hanc resolutionem eruo. Probabiliorum, & minùs probabilium positionum distinctio non semper est perceptibilis: ergo non præcipitur, quia Deus impossibilia non præcipit. Hæc verè, & sapienter Illust. Caram. quod totum pag. 44. num. 98. applicat etiam probabilioritati extrinsecæ; ait enim: Non habemus media, quibus semper sciamus, quæ opinio sit authenticè probabilior, seu ab extrinsecò: ergo qui nobis sequi opinionem authenticè probabiliorum præciperet, rem omnino impossibilem juberet. Sed quotus

quotus est, qui probabiliorē ab intrinseco cognoscere possit? Si conscribendi essent, qui hoc possent, dare nomen meum non aude-  
 S. Bern. derem; ergo darent, ut puto Theologicā fu-  
 S. Bona. perficie tenus tincti, quia quoniam ad pauca  
 S. Anon. respiciunt, omnia possunt, quae senes exerci-  
 S. Aug. tati non possunt. Hæc Caram. Ita accidit SS.  
 Bernardin. S. Anton. Aug. ut dixi supra n. 8.

Confirmo 2. Nesciens ad quid obliget, non est audiendus; si enim legislator ignorat ad quid obliget, multo magis ignorabit subditus, ad quid obligetur: sed Probabiliorista obligantes nos inter inæqualiter tutas ad probabiliorē, nesciunt ad quid obliget; ergo multo minus nos. Minor probatur; quia, vel intelligunt extrinsecē probabiliorē, ita ut si una opinio sit extrinsecē probabilior, altera sit intrinsecē probabilior, obligemur ad extrinsecē probabiliorē? Vel intelligunt intrinsecē probabiliorē, ita ut si una sit intrinsecē, alia extrinsecē sit probabilior, obligemur ad intrinsecē probabiliorē? Vel intelligunt intrinsecē, & extrinsecē probabiliorē, ita ut si una sit utroque modo probabilior, altera sit utroque modo minus probabilis, obligemur ad utroque modo probabiliorē? Vel intelligunt sibi, seu cuique probabiliorē, ita ut si una sit mihi probabilior, etsi vix ullā auctoritate extrinsecā fulciatur, altera verò sit communiter præ eminenti rationum, & Doctorum censu alijs probabilior, obligetur quilibet ad sibi probabiliorē? Sed vix aliquod ex istis Probabiliorista declarant, & quodecumque declarant, nullum subsistit: ergo Probabiliorista obligantes nos ad probabiliorē nesciunt ad quid obligent. Prima pars probatur; quia plerumque difficile, & saepe injuriosum est definire, qui quibus Doctoribus præstantiores sint, ut dixi *initio* §. nam Thomista præfert S. Thomam, Scotista Scotum, Anselmista S. Anselmum. Rursus difficilissimum longè est inter oppositas rationes dicere, quæ sit validior; nam Patroni rationis A præferunt eam rationi B; Patroni rationis B præferunt eam rationi A; ex hoc autem dissidio evidenter colligitur rarò dari evidentiam probabilioritatis, sive intrinsecæ, sive extrinsecæ, saltem in plerisque; plerique enim inepti sunt discernere inter DD. quis præstantior; & inter rationes quæ validior: ergo difficile valde erit decidere, quæ opinio sit intrinsecē probabilior, & quæ sit extrinsecē probabilior comparando probabilitatem intrinsecam unius cum probabilitate extrinsecā alterius. Deinde de opinionem A esse extrinsecē probabiliorē, & intrinsecē minùs probabilem, quis dicere poterit, nos obligari ad

extrinsecē probabiliorē, omisâ intrinsecē probabiliori? Ratio est; quia omnis probabilitas extrinsecæ resolvitur in intrinsecam; ergo posita ex unâ parte, unâ opinione extrinsecē probabiliori, ex aliâ parte, aliâ oppositâ intrinsecē probabiliori, datur potius obligatio ad intrinsecē probabiliorē, quam ad extrinsecē probabiliorē. Secunda pars probatur 1. quia eo ipso, quod quis teneatur ad intrinsecē probabiliorē, omisâ extrinsecē probabiliori, eo ipso supponitur constare certò, quæ sit intrinsecē probabilior; sed hæc certitudo vix aliquando datur, ut patet ex discordiâ DD. quorum uni putant rationem A esse intrinsecē probabiliorē, alijs rationem B ei oppositam, adeoque incertum ferè semper est, quæ ratio, & quæ opinio sit probabilior: ergo numquam tenemur ad intrinsecē probabiliorē. Secundo, quia potest aliqua opinio esse intrinsecē probabilior, & non numerare pro se nisi unum Doctorem, ut patet in omni opinione recentè inductâ; quælibet enim opinio primo sui ortus exordio non nisi unum Authorem pro parentè hæc est; e contra opinio opposita minùs probabilis potest numerare centum omni laude maiores; quis autem absolutè dicat, quod detur obligatio sequendi semper opinionem intrinsecē probabiliorē, etsi ab uno tantum tradita contra torrentem DD. stantium pro oppositâ, vitâ intrinsecē minùs probabilis? Ergo non datur obligatio sequendi minùs tutam intrinsecē probabiliorē contra omnem opinionem extrinsecē probabiliorē. Tertia pars probatur ex his quæ dixi contra primâ, & secundâ seorsim; est enim laboriosissimū, & incertissimam negotium judicare evidenter, quæ ex duplici opinione sit intrinsecē, quæ extrinsecē probabilior, cum omnis auctoritas, & ratio iudicata ab unis gravior, iudicetur ab alijs minùs gravis, & e contra rursus vix aliqua est opinio, quæ gaudeat utraq; probabilitate tam intrinsecâ, quam extrinsecâ: ergo cum evidentia probabilitatis vix unquam detur; est enim valde incertum, cuiusnam opinioni conveniat; obligantes ad probabiliorē nesciunt, ad quid obligent; & si ad aliquid obligant, obligant ad rem incertam, & plerumque impossibilem. Quarta pars probatur, tum quia si quis obligatur ad probabiliorē sibi, contingere poterit, ut si aliqua opinio rejecta ut certò falsa videatur ei probabilior, tenebitur eam sequi, quod tamen dicere non audeam; tum quia hoc est permittere, immò obligare, ut quis sit Judex, & regula sui ipsius; quam regulam facillè laudabunt, & approbabit omnes durè cervicis, subtrahendo

Tom. II.

I ij se



se à communiopinandi, & operandi modo, prætextu obligationis sequendi opinionem sibi vifam probabiliorē, singulariter cū peccata spiritualia interiora, cū minus cognoscibilia sint, quā exteriora, quæ oculis ipsis turpia videntur, idco ea difficilioris longè curationis sunt, & homines reddidit omnino inflexibiles: ergo dici non potest, quod quilibet teneatur ad sibi probabiliorē, præcipue si ea sit singularis, & contra communem Doctōrum.

## §. II.

*Alia nostra confirmatio, & contrariorum replica.*

## S U M M A R I U M.

*Si S. Thom. & S. Bonav. quaesivit, ut debuit, veritatem, quomodo non eadem opinio visa est utrique probabilior? n. 97.*  
*Si veritas sepe non est invenibilis, multo minus evidentiā probabilioritatis, ib. & n. 98.*  
*Replica Palanci, ib.*  
*Sicut nemo obligat semper ad verum in re, ita nec ad probabilis, ib.*  
*Ait Palanco facile cognosci, quæ sit mihi probabilior, n. 99.*  
*Ego dico facillimum scire, quæ sit alijs, difficillimum, quæ mihi probabilior, cur? ib.*  
*Monitum Apostoli, ib.*  
*Arduum S. Theresie votum ponderatur, & omne, quod illud includit, includit lex naturalis sequendi tutius probabilis, n. 100. 101.*  
*Theologi quo honore habiti a Pontificibus, n. 102.*  
*S. Th. ait, Theologiam nisi probabilibus, ib.*  
*S. Aug. ait, licere salta honorificentia sentire oppositum eorum, quæ Catholici, & laudati homines sentiunt: quales vult, sint ejus lectiores, & summa ejus modestia, ib.*  
*Per legem obligantem ad probabiliorē non vitatur laxitas, immo sit inemendabilis, n. 103.*  
*Impossibilitatur obedientia, ib.*  
*Candidus, Merc. Gonet. Palanc. dicunt, nos non teneri querere, quæ sit probabilior, si tamen sciamus, tenemur sequi, n. 104.*  
*Si datur hujus lex, etiam datur de examine, ib.*  
*Longe magis impossibilis lex obligans ad probabilis, quā ad minus, ib.*  
*Probabiliste plerumque obligant, ne sequamur nisi probabilem relative ad oppositam; Probabiliste ad absolute probabilem, ib.*  
*P. D. Thyrs. ait, præferendam intrinsece probabiliorē extrinsece probabiliori, n. 105.*  
*Ait, eam esse probabiliorē, quæ à doctioribus pluribus defenditur, ib.*  
*Arist. ait, ea esse probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientioribus, ib.*  
*Ad quid P. D. Thyrsus obliget doctum, ad quid idiotam, ib.*

*Ait P. D. Thyrs. esse onus intolerabile obligare sequi opinionem in se probabiliorē, non tamen sibi, n. 106.*

*Laudatur P. D. Thyrsus, n. 107.*

*Est æque onus intolerabile scire, quæ in re, ac quæ mihi probabilior, cur? ib.*

*Ea lex ad summum viros doctissimos obligabit, ibid.*

*P. D. Thyrs. descendens ad praxim eligendi opiniones, ad nil plus obligat, quā nos, cum tamen obligare deberet ad maiorem diligentiam, n. 108.*

*In praxi eligendi opiniones nulla est differentia Probabilioristarum a Probabilistis, ib.*

*Exempla, quæ trahit, infirma, n. 109.*

*Ejus contradictio obligat, & non obligat ad probabilis, ib.*

*Vetula, & idiota, si tenentur ad probabilis stare non possunt suo Confessario, ib.*

*Quilibet tenebitur esse eminent Theologus, ib.*

*Si concedit, ut concedit, quod vetula, idiota & c. stare possint dicto Confessario suo, si eum habeant, ut probum, & doctum, concedit totum laxum, quod Probabiliste, & quod fere toto genere humano satis sit, ut opinio sit probabilis, nec opus, ut sit probabilior, ib.*

*Palanco ait, non esse de essentia legis, ut semper sit observatu possibilis, sed tantum quod per se, attentā naturā subditi, & assententiā gratis, sit plerumque ejus observatiā possibilis, n. 110.*

*Ait, legem sequendi tutiorem, & probabiliorē obligare tantum, quando hoc est observatu possibile, ib.*

*Palanco ait, non esse de essentia legis, ut semper sit observatu possibilis, sed tantum quod per se, attentā naturā subditi, & assententiā gratis, sit plerumque ejus observatiā possibilis, n. 110.*

*Ait, legem sequendi tutiorem, & probabiliorē obligare tantum, quando hoc est observatu possibile, ib.*

*Hec ipsa responsio docet non dari legem sequendā semper tutius, & probabilis, n. 111.*

*Aliud est, quod omne quod jubet lex, debet esse possibile, ib.*

*Plura valde difficilia in dictā Palanci doctrinā, ibid.*

*Implicat, & erroneum est dicere, legem esse aliquando observatu impossibilem assistente Dei gratiā, n. 111. 112.*

*Peccatum materiale contra legem non est intrinsece malum, ib.*

*Implicat, & erroneum est dicere, legem esse aliquando observatu impossibilem assistente Dei gratiā, n. 111. 112.*

*Peccatum materiale contra legem non est intrinsece malum, ib.*

*Peccatum materiale contra legem non est intrinsece malum, ib.*

*Confirmo 3. hanc moralem probabilioritatis impossibilitatem; quæro enim, an 97.*

*S. Thom. & S. Bonav. S. Hieron. & S. Aug. quando sibi in aliquā opinione contradicunt, quilibet eorum exacte veritatem querent?*

*Si negetur, contra est: ergo alteruter eorum in veritatis inquisitione, & sequendo sibi probabiliorē peccavit, quia ea ex culpabili veritatis inquisitione visa ei fuit probabilior;*

*ergo sequendo tunc sibi probabiliorē, peccavit, & quidem graviter, si gravis fuit materia opinionis. Si affirmatur, contra est;*

*quia si uterque S. D. exacte quaesivit veritatem,*

tatem, quomodo eodem modo, & eadem diligentia veritatem querentes, veritas utriusque eodem modo non apparuit? Ergo si uni apparuit probabilior propria opinio, alteri probabilior apparuit contradictoria opinio, dicendum necessario est, vel quod alteruter non aequali modo quaesivit, ac alter, quod est contra hypothesein, & sic quod alteruter peccavit: Vel dicendum est, quod si uterque, ut supponitur, aequali modo quaesivit, eadem pars, quae uni apparuit probabilior, debuit etiam apparere alteri; quod etiam est contra hypothesein: Vel concludendum est, posse duos Doctores aequali conatu veritatem inquirere, & tamen una opinio apparere uni probabilior, & altera apparere probabilior alteri: atque adeo veritatis inventionem esse moraliter impossibilem, & multo magis evidentiam probabilioritatis, nam altera veritas evidenter probabilioritatis videtur esse evidenter ex culpa, & passione; si enim uterque caret culpa, quomodo evidens veritas probabilioritatis non est eadem respectu utriusque?

N. 08. Palanc.  
 Dices ex Palanc. qu. 31. num. 23. non esse idem, querere veritatem aequali diligentia, & conatu, ac querere eodem modo, quia saepe duo aequali diligentia, & conatu inquirunt veritatem, sed tamen diversa luce, ingenio, consideratione, & diversis motivis, ac aliis; tunc autem contingere potest, quod uni ingenio videatur longe probabilior id, quod alteri ingenio videtur minus probabilior: Sed contra; quia hoc non solvit argumentum, est enim uterque querat diversa luce, quomodo tamen quod uni apparet verum, alteri apparet falsum, nam veritas non tantum debet esse invenibilis ab illis, qui eandem lucem, considerationem, & motiva habent, sed etiam ab alijs, ut patet pluribus exemplis: nam duo Doctores ex diversis motivis eadem conclusioni saepe assentiuntur, ergo alicujus culpa est, quod unus inveniat veritatem, alter non inveniat: vel si neutrius culpa est, sequitur, quod vel uterque in eadem veritate convenire debeat, vel quod veritas post aequalem diligentiam sit ab uno, non ab alio invenibilis. Contra 2. quia licet uterque Doctor potest aequali, & non eadem diligentia invenire veritatem, ita potest aequali, etsi non eadem luce eam inquirere: cur ergo eadem veritas non apparet utrique? Cur quod uni apparet probabilior, non apparet alteri, licet diversa luce quaeratur, cum saepe accidat, ut Doctores, etsi diversa luce quaerant, convenient tamen in eadem veritate? Cur si eadem est utriusque diligentia, & apud Deum oratio, non est eadem

utriusque lux pro inventione veritatis? Ergo certum prorsus est, quod veritas non est a singulis, etsi eadem diligentia querentibus, invenibilis: ergo cum ipsa probabilioritas sit veritas, certum etiam est, quod est moraliter saepe invenibilis ipsa probabilioritas; nam uterque S. D. sibi contradicens non conveniunt in hac veritate, *Hoc est mihi probabilior*; immo ex contradictorijs. unum uni, aliud alij probabilior est. Sicut ergo nemo potest nos obligare, ut sequamur semper verum in re, quia post exactam diligentiam saepe est invenibile; ita nemo potest nos obligare ad probabilior, quia saepe post exactam diligentiam est invenibilis evidens veritas probabilioritatis, seu probabilior.

Initas ex eodem n. 23. difficillime quidem N. 99. Palanc.  
 inveniri posse, quando opinio sit probabilior, aut minus probabilis alijs, et si hoc non sit necessarium ad formandam conscientiam, facile tamen cognosci potest, quae opinio sit mihi probabilior; ea enim est longe probabilior, quae libris fideliter in fateram intellectus motus, valde praevalere oppositae, & apparet vera prae opposita; quilibet autem facile cognoscit, quae in suo intellectu praeponderet, si non reflexe, & signate, exercite tamen; quilibet enim, dum ponderat opiniones contradicentes, experitur, quae sibi videtur verior; & hoc sufficit ad regulandam conscientiam; unde cessant querelae sumptae ex eo quod sit impossibile invenire opinionem probabiliorem. Sed contra; quia quod Palanco ait difficillimum, puto facillimum; nam eam opinionem judico D. Thom. probabilior, quam sequitur S. Thom. eam Scotus, quam Scotus sequitur, & sic de alijs primae notae viris; qui cum valde ingeniosi, & aequae sancti fuerint, de illis privilegium inveniendi probabilior sibi: ergo facile prorsus est dicere, quae opinio sit alicui saltem praestantioribus DD. probabilior, quae minus probabilis. Similiter quod Palanco ait facillimum, puto ego difficillimum; & periculosum; nam saepissime libris a me utriusque contradictoriae fundamentis, adhuc haereo dubius, quae sit mihi probabilior, & multo magis, quae sit notabili excessu mihi probabilior; praecipue, quoties utraque contradictoria pro se habet classicos DD. & fortes rationes. Quare qui ad experientiam appellat, valde timere potest, ne sit ex numero eorum, quibus quadret monitum Apostoli ad Rom. cap. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere,* & quibus omnia propria videntur certa, & evidenter; & notabili excessu probabiliora, quam aliena. Hoc autem a me alicuiusmodi

Apost.



volo. Dico enim ingenuè vix aliquam ex Philosophicis, Theologicis, & Moralibus opinionibus, quas docui, & de quibus acres sunt hinc inde inter ferè classici DD. controverſie, viſam mihi tam notabili exceſſu, & evidenter probabiliorem oppoſitâ, quam negavi; & ad hoc ipſum teſtandum, experientia, ſui demifſio, modèſtia, & aliorum Doctôrum, eorumque opinionum exiſtimatio me induxerunt.

N. Confirmo 4. ex maximè arduo S. Theresia voto, de quâ Breviarium Romanum hæc habet: *Eo conſiliante, (nempe Chriſto D.) maximè arduum votum emiſit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret.* Votum hoc maximè arduum rapuit in ſui admirationem omnes tam Scholasticos, quàm Myſticos Doctôres, & juremeritò ob plurima valdè exceſſentia ſanctitatem ordinariam, & valdè ardua, quæ ſupponit, & ſecum trahit: primò illuſtrationes mentis adeo claras, ut ſtans inter extrema inæqualiter perfecta, quæ menti S. Theresiæ offerbantur, diſcernere ſine perplexitate poſſet, quodnam ex extremis, penſatis omnibus circumſtantijs, eſſet ſibi perfectius: ſecundò ſubſequentem, & conſtantem earumdem perſpicuarû illuſtrationum perfeverantiam: tertio diverſas, & claras pro numero, qualitate, & differentia actionum illuſtrationes: quartò congruas eiſdem illuſtrationibus voluntatis inſpirationes, & affectus: quinto victricem quarûcumque difficultatum gratiam: ſextò animum omni paſſionû nube immunem. Hæc, & alia plura, alijs conſideranda, votum illud maximè arduum ſupponit, & trahit: & quidem rectè monemur, S. Theresiam non niſi conſiliante Chriſto D. votum illud emiſiſſe, immò emiſiſſe, poſtquam tanto Divini amoris incendio conflagraverat, ut merito viderit Angelum ignito jaculo ſibi præcordia tranſverberantem, & audierit Chriſtum D. datâ dexterâ ſibi dicentem: *Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem.* Applicemus modò obligationem ex voto conſurgentem in S. Theresiâ efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret, cum obligatione conſurgente ex naturali lege, quam Probabilioritæ affirmant, ſequendi ſemper inter probabilia, quod cuique videtur probabilius. Sanè niſi quis ſpondeat ſibi eaſdem illuſtrationes adeo claras, ut inter probabilia diſcernere poſſit ſine perplexitate probabilius, & earum illuſtrationum perfeverantem perſpicuitatem, & diverſitatem pro qualitate, & diverſitate opinionum moralium, & actuum humanorum; nec non ſibi ſpondeat victricem gratiam, & animum omni paſſione, &

affectu immunem; niſi, inquam, hæc, & alia ſibi ſpondeat, puto temeritatis notam non evalurum, qui voto ſe obligaret opinandi ſemper, & operandi quidquid ſibi probabilius videretur. Quomodo igitur votum hoc, quod aliquis iniret, niſi eâ maturitate, & conſiliante Chriſto D. quâ S. Theresia ſuum votum emiſit, excuſaretur à temeritate? Rogo quâ vel levi veritatis ſpecie Probabilioritæ nobis perſuafuri ſunt, dari legem naturalem totum humanum genus, & in quacumque materiâ obligantem, ut quilibet ſtans inter duas probabiles ſequatur ſemper notoriè ſibi probabiliorẽ? ubinam enim eſt hæc notoria cuique probabilioritas? ubi illuſtrationes claræ, quas illa ſupponit? ubi reliqua ad rem tam arduam neceſſaria? Certè hæc poſſunt eſſe optima Probabilioritæ, immò Probabilioritæ deſideria, ut quis, quod ſibi probabilius eſt, opinetur, & operetur, quo modo, ut quis quod ſibi perfectius eſt opinetur, & operetur. At aſſerere legem naturalem opinandi, & operandi ſemper probabilius, non minù incongruum puto, quàm legem operandi ſemper perfectius; cum, juxta me, magis, & minù probabile differant ut magis, & minù bonum, ut magis, & minù perfectum, non autem ut probabile à non probabili, ut bonum à malo, ut verum à falſo, ut perfectum à poſitivè imperfecto.

Confirmo 5. quia cum ex unâ parte voluntas poſſit ſectere intellectum, ut aſſentiat partim minù probabilis, ut conſtat tum ex judicio temerario, tum ex peccato infidelitatis, immò ex involuntariâ confeſſione Anti-Probabilioritæ, ſive ſint Tutoritæ obligantes ad tutius præ probabiliori; ſive Probabilioritæ obligantes ad probabilius præ tutiori, nam ſæpe una opinio eſt magis tuta, & minù probabilis; ſæpe eſt minù tuta, & magis probabilis; in hoc caſu, vel tenemur aſſentiri magis tutæ, & minù probabilis, vel minù tutæ magis probabilis, quodcumque autem dicatur, ſemper intellectus aſſentitur vel minù tutæ, vel minù probabilis: nam probabilior ſupponitur minù tuta; tutior ſupponitur minù probabilis: ergo neceſſariò aſſentitur parti, quæ vel habet minorem probabilitatem, vel minorum ſecuritatem: ruruſ cum ex aliâ parte nulli detur præceptum obligans ad aſſenſum probabilioris, omiſſâ minù probabilis minù tutâ, immò hæc lex repugnare videatur, ut patet ex hæc ſect. cum quaſi ſemper repugnet materia tali præcepti, nempe certitudo probabilioritatis; ſequitur tum ex potentia phyſicâ intellectus ad minù probabile, ut conſtat

constat in iudicio temerario, (sola enim evidētia, non autem probabilioritas veritatis, quæ adhuc manet incerta, necessitat intellectum) tum ex potentia morali, seu non ligata ullo præcepto ad assensum probabilioris; sequitur, inquam, quod intellectus tum physicè, tum licitè sequi possit minus tutam minus probabilem. Vide P. Card. tom. 3. d. 55.

P. Card. n. 8. & P. Teril. de Reg. mor. qu. 2. a. n. 128. P. Eliz. ad 138. & P. Esparza qu. 23. de Act. hum. art. 9. qui trahunt grandia absurda ex obligatione tutioris, vel probabilioris.

N. Confirmo 6. alio argumento plausibili. Si aliqua est inter scientias commendabilis, utique omnium a deo infensi sunt Hæretici. Lege C. Aguirre, qui tom. 3. in S. Ansel. d. 130. n. 26. in medium trahit, quo in honore Theologia Pontificibus, & Concilijs habiti sunt: sed Theologia, seu sacra doctrina (idem enim est iuxta S. Thom. 1. p. qu. 1. art. 8.) nititur probabilibus; ait enim S. D. l. c. Sacram doctrinam uti auctoritatibus Doctorum Ecclesie quasi argumentando ex proprijs, sed probabiliter, (N. B. tō probabiliter,) immititur enim fides nostra revelationi, Apostolis, & Prophetis facte, qui Canonicos libros scripserunt; non autem revelationi, si qua fuit facta alijs Doctoribus. Unde dicit Aug. Ep. 19. ad Hieron. Solis enim Scripturarum libri, qui Canonici appellantur, didici deserere hunc honorem, ut nullum Aurborem eorum errasse aliquid firmissime teneam; alios autem ita lego, ut qualibet sanctitate præpollent, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, & scripserunt. Præmiserat autem S. Aug. Ep. 3. hæc verba bene tenenda; Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, facta honorificentia, que illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, aut respicere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, Divino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel a nobis. Talis ergo sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum. Hæc modestissimus Aug. Ergo ex S. Thom. licet sequi probabile. Hoc autem verum est de Theologia tam Scholastica, quam Morali, utraque enim probabiliter procedit: ergo negari non potest usus opinionis probabilis, affirmato probabili, quo procedit Theologia modo, tanquam licito.

N. Confirmo 7. quia per legem obligantem ad probabiliorē nulla vitatur laxitas, & evertitur subordinatio; immò laxitas ipsa incommendabilis evadit. Nulla vitatur laxitas, quia tota, quæ oritur (si aliqua oritur) ex

opinione probabili, eadem oritur ex probabiliori, nam ea ipsa opinio minus probabilis laxa est suis Patronis probabilior. Incommendabilis fit laxitas, quia persuasus quibuscumque argumentis, ut eam dimittat, poterit prætextu legis naturalis obligantis ad probabiliorē, eam opinari, & operari ut probabiliorē, quantumcumque reclamēt Doctores numero, & pondere maiores. Evertitur subordinatio, quia fac, ut quis mihi aliquid præcipiat, intrepidè respondebo, & sæpe cum veritate, oppositum ejus quod mihi præcipit Superior, esse mihi notoriè probabilis; atque adeo me non tantum non posse, sed non debere, immò me non tantum non debere, sed nec posse obedire, allegando legem naturalem sequendi mihi probabilis; & impotentiam physicam opinandi minus probabile. Hoc autem utinam non accideret, verumtamen hoc ponderare non est modestiæ mihi præfixæ. Idem argumentum formari potest contra P. Eliz. obligantem semper, ut quis sequatur quod sibi videtur obscure verum. Quare dum P. Eliz. 2. p. lib. 6. qu. 14. a pag. 262. tam operosè ostendit, quod per probabile destruat omnis lex, timere potest, quod per hoc verum destruat non tantum lex, quam interpretor; dicere enim possum me sequi eam interpretationem, quia iudico veram; sed etiam destruit omnis lex humana, possum enim Superiori præcipienti respondere, me nec posse, nec debere obedire, quia oppositum ejus quod præcipitur iudico verum, vel probabiliter, vel probabilis, & datur lex naturalis obligans ad verum.

Dices 1. ex Philal. Merc. pag. 184. Gonet. Palan. & alijs, nos non teneri examinare, quæ sit probabilior; si tamen cognoscatur, quod opinio A sit probabilior, tenemur eam sequi. Ratio est: quia datur lex conscientie clamans, sequendam esse partem magis affinem veritati; sed hæc est probabilior; ergo &c. Sed contra 1. (omissa solutione P. Teril. de Reg. mor. qu. 2. a. n. 25.) quæro, cur non detur lex obligans ad examen probabilioris? Sanè quia Contrarijs ipsis ea lex videtur impracticabilis: ergo a pari nec dabitur lex obligans ad probabilis. Contra 2. quia si datur lex obligans opinari, & operari probabilis, datur etiam lex obligans investigare quodnam extremum sit probabilis; lex enim obligans aliquid agere, obligat illud scire: ita si homo tenetur audire sacrum, tenetur etiam scire quando, & ubi audiendum: ergo vel datur utraque lex obligans tam ad examen, quam ad sequelam probabilioris, vel neutra. Contra 3. quia

P. Eliz.

G. N. 104. Philal. M. Merc. M. Gou. Palanc.

P. Teril.

quia lex sequendi tutius, aut probabilius, habet pro objecto plerumque aliquid impossibile; immo hoc multo magis verum est de lege obligante ad probabilius, cum hoc plerumque ignoremus, ac de obligante ad tutius, cum hoc plerumque cognoscamus. Contra 4. quia haec lex à se ferè omnibus negatur; ergo licet possibilis esset, debet certo ejus exitentia suaderi. Contra 5. quia per hoc, quod opinio sit probabilior, non est magis vera, nam plura falsa sunt probabiliora veris: ergo non tenemur ad eam. Contra 6. quia etiam dum cognoscimus extremum A esse probabilius, saepe tenemur sequi extremum B minus probabile, ut dicam infra. Contra 7. quia dum Probabilioritas dicunt se non obligare ad investigandam semper sententiam probabiliorum, quia hoc fortè (ait M. Merc. pag. 184. art. 28.) nimis onerosum esset, sed docere, quod quando probabilis dicit actum esse licitum, & probabilior negat, sequenda tunc sit probabilior; quod non est investigare probabiliorum, sed investigatam supponere; dum, inquam, hoc dicit M. Merc. confundit probabilium cum tutiori, nam sententia negans licere, est tutior, & potest non esse probabilior. Rursus si non est investigandum semper, quæ sit probabilior; ergo in eo casu, quo non apparet, sufficiet sequi probabilem. Hoc autem nullus Probabilista, etsi laxones habeatur, dicere audebit; omnis enim vult considerandam semper opinionem oppositam. Vel ergo opposita est æquæ, vel magis, vel minus probabilis? Si æquæ, aut minus, juxta Merc. Gonet. Philal. Palan. Muniti. deferenda erit; si magis probabilis, obliganda erit: ergo vel semper tenetur investigare probabiliorum; vel si non tenetur, satis ut eligat probabilem: quod si sufficit ut eligat probabilem, nullâ factâ comparatione cum oppositâ, cur non etiam probabilem eâ factâ? Vide mi Lector, an melius discurrat Probabilista obligans semper ad sequendam probabilem comparativè ad oppositam; si enim opposita non consideretur, tunc usus non erit sufficienti diligentia; potest enim quæ apparet probabilis, si considerentur fundamenta opposita, non esse probabilis; immo esse certo falsa. An melius Probabiliorista, qui absolute probabilem, non consideratis oppositis fundamentis.

N. Dices 2. ex P. Thyrsi in *Introduct. n. 32.*  
 105. & 40. sententiam docentem licitum esse sequi minus tutam minus probabilem, esse veram in hoc sensu, id est, opinionem minus tutam habentem pro se plures graves DD. etsi non tot, quot opposita, dummodo ta-

men habeat pro se fundamenta graviora, quam opposita. Seu licitum est sequi minus tutam, minus extrinsecè probabilem, dummodo sit intrinsecè probabilior, nam probabilioritas intrinsecè præferenda est probabilioritati extrinsecè. Sed contra 1. quia licet verum sit respectu sapientum præferendam esse probabilioritatem intrinsecam probabilioritati extrinsecæ, quia illam discernere possunt; attamen hoc non habet locum respectu non sapientissimorum; nam idem P. Thyrsus *disf. 1. n. 27.* ait ex P. Palao *d. 2. de P. Palao* *Consc. cap. 1. n. 8.* ea sententia est judicanda probabilior, quæ à pluribus, & doctioribus defenditur, quia gravius supponitur fundamentum, in quod tot, & tanti DD. conspiciunt, juxta dictum Aristot. *1. Top. cap. 7.* *Acute.* *Ea sunt probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientioribus:* ergo non tantum est verum, quod liceat sequi minus tutam intrinsecè probabiliorum, sed etiam quod liceat sequi minus tutam extrinsecè probabiliorum, etsi videretur intrinsecè minus probabilis: ergo si licet sequi minus extrinsecè probabilem, dummodo sit extrinsecè probabilior, nam judicium tam ab autoritate, quam à ratione prudenter moveri potest. Contra 2. quia ea explicatio videtur ludere in verbis; nam probabilitas extrinsecè fundatur in intrinsecè: ergo si opinio debet semper esse intrinsecè probabilior, quomodo P. Thyrsus dicit, quod sententia docens licere sequi minus tutam minus probabilem, vera sit de intrinsecè, non de extrinsecè probabilitate? Contra 3. quia adhuc nostra argumenta de evidentis probabilioritatis impossibilitate urgent. Contra 4. quia idem D. *disf. 10. n. 1.* loquens de viro docto ait: Ut quis operetur juxta minus tutam, requiritur, ut sit certo probabilis; & ut ei directè præstet assensum, tamquam probabiliori ex vi rationis, vel autoritatis. Et loquens de Idiotâ ait: Ut possit securè sequi minus tutam, debet consulere virum probum, & sapientem, de quo suspicari non possit, quod propter defectum scientiæ, & studij, aut ob desiderium placendi, erraturus sit in dando consilio; qui si dixerit, rem esse licitam, & ipse motus tanti viri autoritate judicaverit esse licitam, poterit securè operari. Hac scitè P. Thyrs. At quæro, ubi nam Idiotâ reperiet adeo doctum, de quo suspicari non possit eum erraturum? Sanè hoc excedere videtur tum doctrinæ humanæ limites, tum dare ratione ignorantie Idiotæ privilegium, quo maius vix dari potest; immo hoc

M. Merc.

P. Mon.  
M. Gon.  
Philal.  
M. Merc.  
Palan.N.  
105.  
P. Thyrs.

hoc impossibile videtur; de omni enim viro quantumcumque docto licet suspicari, quod hic, & nunc possit errare.

Dices 2. ex P. Thyrsi. *diff. 14. à n. 6.* non esse onus intolerabile, nec multis scrupulis expositum, obligationem investigandi probabiliorum, ut ait P. Moya *m. 1. qm. 5. n. 14.* non enim, ait P. Thyrsus, obligamus sequi sententias in re probabiliores, sic enim obligarem ad libranda omnia fundamenta, ut icretur quæ opinio esset probabilior, quod utique esset jugum nimis grave. Quare ut quis licite sequi possit minus tutam, non tenetur quærere, quod illa in se sit probabilior, sed satis est ut post diligentem expensam utriusque sententia fundamenta, fundamenta partis benignæ appareat clarè & sensibiliber urgentiora, dummodo sciamus, quod classici DD. fere æqualis autoritatis cum oppositis eam sententiam defendant. Nec hoc onus est grave, quia omnes tenentur sufficienti diligentia uti, ut sciant, an res sit verita: ergo si tutior appareat probabilior, tenetur ad illam, nec hoc durum est. Et *n. 7.* ait se non exigere ad rectè operandum, ut operans per principia intrinseca cognoscat probabiliorum esse sententiam benignam, juxta quam vult operari, aut alijs consulere: judicare enim inter sententias, quæ sit ab intrinseco probabilior, pertinet tantum ad viros doctos. Sed ait se unice asserere, quod si facta sufficienti diligentia repræsentetur ipsi ut verisimilior sententia rigida, (sive ob maiorem autoritatem, sive maiorem probationem) non possit tunc eligere sententiam benignam, nec juxta eam consulere. Hæc P. Thyrsi. quo nemo inter Probabilioristas nec doctior, nec clarior, nec verior. Sed contra 1. quia nostrum argumentum non est, quod teneremur scire, quæ opinio sit in re probabilior, sed est, quod si non licet sequi faventem libertati nisi appareat probabilior, teneamur semper formare iudicium de probabilioritate opinionis, sive deinde ea sit in re, sive non sit probabilior. Quare onus intolerabile, quod nos asserimus sequi ex obligatione non sequendi minus tutam, nisi sit clarè probabilior, non oritur à difficultate cognoscendi, quæ sit in re probabilior, sed à difficultate discernendi, quæ mihi appareat probabilior, ut enim hoc prudenter iudicem, necesse est librare tum autoritatem, tum rationes utriusque opinionis, & quæ sit, quæ aliam apud me sensibiliber excedat: ergo dum P. Thyrsus ait, nostrum argumento unice probari, quod sit onus intolerabile cognoscere, quæ inter opiniones sit in re probabilior, non satisfacit argumento. Ratio est;

quia nullus dirigitur ab objecto ut est in re, nec probabilitas illa realis prodest, nisi sit ita in mente, ut est in re: ergo licet verum sit, quod sit valde difficile cognoscere, quæ opinio sit in re probabilior altera; attamen est etiam valde difficile discernere, quæ sit respectu mei probabilior sensibiliber. Addo, quod ea difficultas cognoscendi, quæ sit in re probabilior, non est ad rem, vel si est, est quia difficile est inter motiva, sive intrinseca, sive extrinseca, ut nobis apparent, judicare, quodnam cui supereminet: ergo cum hoc difficillimum sit, & non nisi viris veratissimis competere possit, sententia obligans abstinere à minus tutâ, nisi sit longè probabilior, est onus intolerabile, & quidem ea summa difficultas non nisi à doctissimis est superabilis, adeoque lex illa ad summum viros doctos obligabit, non alios.

Contra 2. quia idem D. descendendo ad N. praxim eligendi opiniones, licet obliget, ne sequamur minus tutam, nisi sit longè probabilior, & hoc tam doctum, quam idiotam, attamen ad nihil plus diligentia adhibenda obligat, quam obligemus nos negantes obligationem non sequendi minus tutam, nisi sit longè probabilior; cum tamen ad longè maiorem diligentiam, immo librationem utriusque motivi tam autoritatis, quam rationis utriusque oppositæ opinionis obligare deberet. Nam *n. 8.* ait: Facta sufficienti diligentia vel proponitur operanti unice pars benigna ut verisimilis, ut cum idiota interrogans doctum, an sibi liceat contrahere, audit ab ipso licitum esse. Et post pauca subdit, quod licet poterit sequi sententiam benignam. Et *num. 10.* ait: Si vetula interroget Parochum, an licita sit talis actio, & audiat ab illo, quod sit licita, impune operabitur, quia tunc prudenter iudicat rem esse licitam; quamvis autem decipiatur, non peccabit, quia illa ignorantia non est culpabilis, cum sit error probabilis, siquidem facta sufficienti diligentia ad inquirendam veritatem existimavit rem esse licitam. Et *n. 11.* Si Confessarius sit indoctus, & nequeat librare fundamenta sententiarum, debet, vel consulere virum doctum, & probi, & id facere, quod hic dixerit esse absolute verum, vel scripta DD. Quod si videat DD. elasticos asserere talem contractum esse licitum, & non referre sententiam in contrarium, vel si referat, parvipendere ut falsam, poterit eorum dictis acquiescere, quia illorum autoritas cum movere potest ad prudenter iudicandum eam rem esse licitam. Et *n. 13.* ait, quod si Summistæ, quem Confessarius consultit, referat duas sententias oppositas, & dicat æque

N. 106. P. Thyrsi. P. Moya.

P. Palao

Artillo

P. Thyrsi.

N. 107. P. Thyrsi.

æquè probabiles, & nihil amplius; vel dicat sententiam rigidam esse probabiliorem, teneatur amplecti rigidam. Hæc P. Thyrsus. quæ omnia approbo, excepto eo quod retuli ex n. 13. & unum rogo, an non totum hoc ipsum dicant ipsi Probabilitas? Si autem dicunt, iterum rogo, quæ in praxi opinionum differentia sit inter Probabilitas, & Probabilioritas? Utiq; nulla. Cur igitur, si utrorumque praxis est eadem, tantum declamatur contra Probabilitas? Addo, quod hæc doctrina relata ex praxi eligendi opiniones, destruit evidenter, quod dicitur pro probabiliore sequenda, ita ut non liceat sequi minus tutam, nisi sit probabilior.

N. 109. Ratio est; quia implicat, ut quis eligat probabiliorem, nisi duplex eligenti proponatur sententia: sed vetula consulenti suum Parochum, proponentem unice sententiam benignam, proponitur una tantum sententia: ergo vetula eligit sententiam benignam, quin ea ei appareat probabilior, aut minus probabilis, sed apparet unice probabilis, & quidem ex ignorantia aliarum, quæ subtrahuntur. Idem dico de Confessario indocto virum doctum, & pium consulente, ei enim consilium viri docti proponitur non ut probabilius, sed ut unice probabile, & quidem ex ignorantia, quatenus non consulit alterum: ergo ut licitus sit usus minus tute opinionis, non est necesse, ut appareat probabilior, satis ut appareat probabilis, & quod oppositum extremum non consideretur, ut patet tum in casu vetulae, tum in casu Confessarii indocti, utriusque enim pure proponitur contractus ut licitus, & ratio illiciti nec vetulae à Confessario, nec Confessario indocto à viro docto proponitur: ergo licentia contractus non proponitur vetulae, & Confessario indocto, nisi ut probabilis, non ut probabilior, quia inhonestas non proponitur. Confirmo; quia certum est, quod obligans ad discernendum inter probabilia probabilius, ad maiorem longè diligentiam obligat, quam qui ad eam discretionem non obligat: sed P. D. Thyrsus in casibus adductis non obligat ad maiorem diligentiam, quam nos obligemus, qui contenti sumus, ut quis sequatur certò probabilem: ergo non obligat ad probabilius: ergo obligat, & non obligat ad probabilius: obligat, ut integer Tomus clauat; non obligat, quia in casibus adductis ad eandem, quam nos, & non ad maiorem diligentiam obligat. Si enim à nobis queratur, quid faciendum vetulae; dicemus quod stare debeat dicto sui Confessarii, si cum ut doctum, & probum habeat. Hoc autem ipsum P. D. Thyrsus, & tamen

hoc dicere non potest, si obligat ad probabilius; tum quia implicat comparativum, ubi unum tantum est extremum: ergo cum vetulae non proponatur nisi unum, non proponitur ei ut probabilius. Tum quia non satis est vetulae, si tenetur ad probabilius, sequi dictum sui Confessarii; (idem dico de penitentibus, quoad suos Confessarios, de Confessarijs indoctis quoad DD. quos legunt, aut consulunt) sed debet vetulae auctoritatem sui Parochi librare cum auctoritate alterius; & penitens sequens ob puram auctoritatem sui Confessarii aliquam opinionem, ejsdem auctoritatem librare debet cum altera alterius. Sicut enim ut opinio appareat mihi intrinsece probabilior, libranda est cum fundamentis oppositæ; ita à pari ut vetula sequatur tamquam probabiliorem ob sui Parochi auctoritatem, opinionem benignam, librare debet auctoritatem Parochi cum aliâ; sed non librat; ergo sequitur licite opinionem benignam, etsi non probabiliorem. Quare hæc ipsa exempla suadent falsitatem sententiæ obligantis, ne eligatur opinio minus tuta, nisi sit probabilior; nam vetula in dicto casu licite sequitur minus tutam, & tamen ei, nec ut intrinsece probabilior, quia nulla ei ratio proponitur, nec ut extrinsece probabilior proponitur, quia ei nulla alia auctoritas proponitur: ergo ut quis sequatur minus tutam, non est necesse ut ei proponatur ut probabilior, satis ut pure probabilis; immò si omnis teneretur non sequi minus tutam, nisi ei esset probabilior, omnis teneretur esse tummus Theologus; quia Theologia non tantum est necessaria ut iudicium feram de rationibus opinionum oppositarum, quæ quas vincant, sed etiam ut iudicium feram de sapientiâ Doctorum oppositorum, qui quibus emineant. Demum si conceditur nobis, (quod utiq; concedi debet) quod vetulae, idiotæ, penitentes rudes, Confessarii indocti, stare possint consilio sui Confessarii, si eum habeant ut probum, & doctum, & non obligant ut alium, & alium adeant, nisi dubitent eum esse idoneum; & si concedunt Confessario indocto, quod possit acquiescere DD. classicis, si videat hos asserere opinionem aliquam benignam, ex gr. licere hunc contractum, etsi non referant sententiam oppositam; eo ipso Contrarij concedunt tum totum illud laxum, quod Probabilistis opponunt; tum quod ferè totum genus humanum, paucissimis summis Theologis exceptis, qui inter DD. & rationes, discernere possunt præstantiores, & validiores, sequi possit opinionem benignam, licet non proponatur ut probabi-

babilior, sed unice probabilis ex ignorantia.

Dices 4. ex Palanc. qu. 28. a n. 444. quod lex universaliter obligat ad tutiora, vel probabiliora non trahat per se morali necessitate plura peccata, ea enim necessitas est ex fragilitate nature corrupte; quæ nisi speciali gratia preveniatur, non potest diu in multis individuis vitam sine multis peccatis trantigere. Secundo, quia non est de ratione legis, quod semper, & in omni casu sit observatu possibilis, ut nulli possit per accidens in aliquo casu fieri impossibilis ejus observantia, hoc enim servari non potest in lege illa; rara enim est lex, cujus observatio non possit in aliquibus casibus per accidens autem subdito fieri impossibilis; item nec est necessarium, quod moraliter sit possibilis ejus observantia collectiva ab omnibus, & in omni casu: nam leges universales semper opposito modo se habent, ita nimirum, quod sit moraliter impossibile, aut collectivè ab omnibus, & in omnibus casibus observari; solùm ergo requiritur, quod per se, attentà naturâ subditi, & assistentiâ Divinæ gratiæ, plerumque, & ferè in omni casu sit possibilis ejus observantia à quocumque subdito, licet cum difficultate; hoc autem pacto, quis neget esse observatu possibilem legem obligantem ad sectanda tutiora, vel probabiliora, si quis timeat magis violare Divinam legem, quam amittere bona temporalia? Tertio loquens de impossibilitate sequendi tutiora, aut probabiliora, ait n. 448. Hoc inconveniens plane vitatur, si illa lex, & obligatio intelligatur ut à nobis exponitur; ita ut obliget ad vitandam pro posse humano transgressionem legis directæ, seu ad vitanda pro posse humano pericula probabilia talis transgressionis; hujusmodi enim obligatio ex terminis repugnat, quod sit ad impossibile, quandoquidem solùm obligat te, ut pro tua possibilitate facias, quod poteris ad vitanda ea pericula; quomodo autem est tibi impossibile facere, quod poteris? Ubi sanctissimus? Quis non hujusmodi calumnias contemnat? Quis hoc dicat jugum intolerabile? nam, vel potes, vel non potes? si potes, non est tibi jugum intolerabile; si non potes, non te obligat lex. Nam Deus, ut inquit Trident. impossibilia non præcipit, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Hæc formalibus verbis Palanc.

In hac doctrinâ noto 1. dum dicit dari legem universalem sectandâ tutiora quando possumus, non autem quando non possumus, cedere nostro argumento; nostrum enim argumentum est, quod si datur lex sequenti, tutius, vel probabilius, sepe erit im-

possibilis observatio talis legis. Ipse autem respondet fatendo sepe esse impossibile, & tunc non obligare; ergo cedit nostro argumento: ergo non datur universalis lex sequendi semper, & in omni casu tutius, vel probabilius, & vitandi semper omne peccatum materiale. Secundo noto esse extra rem interrogationem illam, vel potes, vel non potes? Nam non quidquid homo potest, est ex obligatione legis; aliud enim est, quod omne, quod lex præcipit, debeat esse homini possibile; aliud quod omne, quod est homini possibile, præcipatur à lege; illud tenet, hoc non tenet: ergo inferre quod quando homo potest sequi tutius, aut probabilius, datur lex obligans ad tutius, aut probabilius, est omnino illegitimum. Tertio noto in allatâ doctrinâ esse aliqua, quæ mihi non placent, & aliorum iudicio examinanda relinquo. Primum est, *leges universales semper opposito modo se habere*; quid enim per hæc verba velit, non capio. Si enim velit, quod leges universales sint observatu moraliter impossibiles collectivè ab omnibus, & in omni casu; sint autem observatu moraliter possibles in quolibet casu, & à quolibet, rem non intelligibilem dicit, si sermo sit de observantia obligante sub mortali: si aliud, explicet se. Secundum est, de ratione legis non esse, ut sit semper, & in omni casu observatu possibilis, ut nulli possit per accidens in aliquo casu ejus observantia fieri impossibilis: ergo (infero ego) datur casus, in quo lex obligat, & gratia assistit, & tamen est impossibilis ejus observatio. Quam doctrinâ viderint alij. Quod si dixerit legem tunc non obligare, eo ipso tunc non dabitur lex, nam lex non ligans non est lex: ergo sibi contradicit, dum dicit dari casum, in quo lex est observatu im-

possibilis. Tertium est, quia dum ait esse moraliter impossibile collectivè ab omnibus, & in omnibus leges universales observari; vel loquitur de observantia, suppositâ Divinâ gratiâ; vel hæc gratiâ seclusâ: si primum dixerit, ergo dabitur casus, in quo adest gratia sufficiens ad Dei legem universalem implendâ, & tamen erit observatu moraliter impossibile: si secundum dixerit; ergo dabitur casus, in quo lex obligat, & tamen non adest gratia sufficiens ad eam implendam; quorum neutrum est sanum. Quartum est, quia dum ait, *Solum ergo requiritur, quod per se, attentâ naturâ subditi, & assistentiâ Divinæ gratiæ, plerumque, & ferè in omni casu sit possibilis observantia legis*, eo ipso sequitur non esse de ratione legis obligantis, ut semper, & in omni casu, etiam assistente gratiâ, sit observatu possibilis: ergo poterit lex in aliquo casu, etiam

etiam præfente gratiâ, esse observatu impossibilis; quod etiam non est sanum. Quintû, quia datur homo conscientiâ perplexa laborans, stans inter duo præcepta, ex. gr. audiendi sacrum, & curandi infirmum: ecce in hoc casu adicit gratia ut suppono, & tamen utriusque præcepti observantia est impossibilis; adeoque materialis violatio alterutrius præcepti est necessaria: ille igitur homo, velit, nolit, peccabit semper formaliter, quia, juxta Adversarium, datur obligatio ad tutius, & ad vitandum omne peccatum materiale: ergo datur casus, in quo homini facienti, quod in se est, impossibile est Divinæ legis observantia; huic enim impossibile est observare legem sequendi tutius. Quod si dixerit tunc non dari eam legem, inferam: ergo non datur lex universalis obligans semper, & in omni casu ad tutius: ergo non omnis voluntaria materialis violatio legis est peccatum formale, ut Palanco docebat; adeoque ejus argumentum nullum est, & lex obligans semper ad tutius, vel probabilius est arbitraria, & impossibilis: ad tutius, quia sæpe est necessaria materialis violatio legis; ad probabilius, quia sæpe est impossibile inter probabilia discretio probabilioris; & quia sequendo probabiliorum peccare possumus materialiter contra legem, ut accidit, quoties opinio stans pro libertate, est probabilior, est falsa: ergo non est intrinsecè malum peccare materialiter contra legem, sed tunc tantum, quando cognoscitur certò esse materialiter contra legem: sequens autem probabiliorum, aut minus probabilem pro libertate contra legem, non judicat, quòd opus positum sub eo iudicio minus, aut magis probabile, stante pro libertate, sit contra legem; immò judicat non esse, nam est impossibilis probabilitas simultatis.

#### SECTIO IV.

##### Tertium argumentum.

##### §. I.

*Ex eo, quòd non datur lex sequendi tutius, vel probabilius, nec in materia fidei, nec in materia morum.*

#### SUMMARIUM.

*Hæc lex, vel non datur, vel non est satis promulgata, n. 113.*

*De essentia legis, ut obliget, est promulgatio, ib.*

*Lex non promulgata non magis violatur, ac si non esset, ait P. Eliz. ib.*

*Ex hæc regulâ, In dubijs tutius sequendum, inferitur licitum sequi minus tutum, ib.*

*Lex in ratione moraliter obligantis constituitur*

*per moralem sui in intellectu subditi existentiam, n. 114.*

*Lex sequendi tutius, & probabilius, a sapientioribus, & doctioribus negatur, ib.*

*Lex, qua non constat certò moraliter, non est satis promulgata, D.D. hoc tucnes, ib.*

*Ut lex obliget, opus est, ut datur certa moraliter notitia legis, ib.*

*Quid dicat Caram. in Celladei, ib.*

*Certiudo moralis de lege non potest stare cum probabilitate de non lege, n. 115.*

*Sequens minus tutam minus probabilem nulli subjacet periculo violandi aliquam legem, sive directam, sive reflexam; cur? n. 116.*

*Lex sequendi semper tutius, aut probabilius a plerisque negatur, n. 117.*

*Dubia lex non potest prevalere certe libertati, ib.*

*Acutum dictum C. Pallav. In condenda lege quarendum est optimum in iubendo, non in faciundo, n. 118.*

*Laudatur M. Tapia a M. Bato, ib.*

**H**oc etiam argumentum est evidens. Si non licet sequi opinionem minus tutam minus probabilem, maximè quia datur lex sequendi tutius, aut probabilius: sed hæc lex non datur, vel si datur, non est sufficienter promulgata, lex autem non sufficienter promulgata non obligat, ut omnes fatentur; & ideo Lactantius Firmianus lib. 3. Institut. cap. 23. optimè dixit: *Sulitissimum est præceptis velle parere, qua utrum vera, an falsa sint, dubitatur*; id est, stultissimum est velle obedi-  
re præcepto incerto; quidquid contra hoc Lactantij dictum dicat Modernus apud P. Teril. de Reg. mor. qu. 2. a n. 60. Quid autem magis incertum, quam lex non sufficienter promulgata? eo enim ipso, quòd non datur sufficiens legis promulgatio, perinde est, ac si lex non daretur, nam de essentia legis, ut moraliter obliget, est ipsa promulgatio, ut latè docui d. 2. sect. 2. ex S. Thom. 1. 2. qu. 10. art. 4. & hoc ipsum expressè tradit ipse P. Eliz. lib. 1. qu. 13. pag. mihi 48. & lib. 1. Eliz. 3. qu. 8. §. 4. pag. mihi 161. paulo post initium, dicens: *Lex non promulgata non magis violatur, quam si non esset*: ergo nulla datur lex reflexa de sequenda tutiore, aut probabiliore. Minor probatur 1. quia tota lex, quæ ab adversarijs trahitur, est regula juris, in dubijs sequendû est tutius: sed ex hæc regulâ tantû abest, ut teneamur ad tutiorè, aut probabiliorè, quoties utraque pars est certò tuta, & certò probabilis, licet inequaliter; quinimmo inferitur oppositum, nempe nos non teneri sequi tutius, aut probabilius, quoties utraque pars est certò tuta, & certò probabilis: ergo nulla datur lex sequendi tutius, aut proba-